



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.25. Continuatio rerum Siciliae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

confidens hos Proceres sibi affidere jubebat. Tum omnes illi, qui habebant negotium, ei locutum veniebant: nec factellitum quisquam vel alius arcere illos poterat. Rex maxima suæ vocis contentione quærebat, an aliquis causam vellet dicere: & quosdam Proceres, qui rem expedirent, vocabat. Sed siquid in orationibus Advocatorum carpendum censuit, ipse humaniter eos reprehendebat. Interdum eis aures præbebat in horto Regiæ Parisinæ, ubi hodie forum Delphini est. Dominus Jonavillæ, qui hæc omnia refert, inter hos Judices portæ frequenter erat.

## §. XXV.

*Continuatio rerum Siciliae.*

Eodem anno 1264 Papa Simonem Briensem Cardinalem S. Cæcilie in Franciam ut Legatum misit, qui a Clero decimam pro bello contra Manfredum peteret, atque cum Carolo Andegaviæ Comite ageret de conditionibus, quibus is Siculum regnum acciperet, a Papa inaugurandus. Mandatum Urbanus dedit 25 Aprilis: & 3 Maji S. Ludovico per litteras ob oculos posuit periculum religionis in Italia propter bellum, quod ibi Manfredus gereret de consiliis cum Andegaviæ Comite agitatis edoctus. Plurimum

Sæcul. XIII.

A. C. 1264.

Rayn. 1264.

n. 9. 10.

n. 13.

Sæcul. XIII. rium Ecclesiarum cathedralium, ait in  
A.C. 1264. Papa, plurimumque coenobiorum possessio-  
 nem occupavit, ubi protegit intrusos: a-  
 lia, prout animo lubet, aliis tanquam be-  
 neficia fiduciaria confert, illorum redditus  
 in suam rem vertens. Interea pullulam  
 hæreses per totam fere Italiam; catho-  
 lica fides deprimitur; minuitur servitium  
 divinum; libertas & jura ecclesiastica  
 calcantur pedibus; Præsules atque Cle-  
 rici mittuntur in exilium, mutilantur, per-  
 imuntur; loca Deo sacra suis spoliata  
 bonis convertuntur ad usus profanos: Sa-  
 cerdotes aliqui in locis interdicto affectis  
 officia divina peragere, & Sacramenta pro-  
 scriptis administrare coguntur.

*Papeb. con.*  
*p. \* 47.*

Huc pertinet illud, quod Matthæus  
 Spinellus refert, qui sequente autumno  
 ad exercitum Manfredi se contulit. Ter-  
 tio Septembris 1264 venerunt tres viri  
 nobiles a Neapolitanis missi Regi suppli-  
 catum, ut pacem cum Papa jungeret, eo  
 quod urbs anathemate perculsa maneret,  
 & Archiepiscopus sacrum fieri nollet. Rex,  
 Bellum, inquit, non geritur mea sed  
 Papæ culpa, e regno pellere me cupientis.  
 Mittam Neapolim trecentos Saracenos  
 per vim facturos, ut res divina conficia-  
 tur. Sacerdotes ac monachos, qui man-  
 datum abnuerint, in triremi ad me mit-  
 tite! Ad ea Nuncii: Domine! noli mit-  
 tere

tere Saracenos! Neapolis eos non recipiet. Tum Manfredus ira excanduit.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1264.

## §. XXVI.

*Divinum monitum Julianæ Cornillomontanæ datum.*

Interea dum Papa de bello contra Manfredum cogitabat, non omisit SS. Eucharistiam festa religione ac ceremonia colendam præcipere, qua illam hoc primum anno 1264 die Jovis post octavam Pentecostes 19 Junii coluit. Res ab origine causisque primis est exponenda. Cum ille Leodii Archidiaconus esset, singulariter noverat sanctam virginem aliquam nomine Julianam religiosam hospitalariam Cornillomontii prope unam portarum urbis. Juliana per omnem vitam suam SS. Altaris Sacramentum peculiari pietate venerabatur: & ab anno ætatis suæ sexto decimo, hujus seculi octavo, quotiescunque se sacris impendebat precibus, lunam plenam sed modico nævo affectam cernere sibi videbatur. Hæc imago se illi sic exhibebat, ut eam impedire non posset: id quod longo duravit tempore. Tentationem esse rata multas fudit preces, ut ab ea liberaretur. Postea, quid illa species indicaret, quærenti dictum interius est: Luna Ecclesiam significat, nævus

Boll. to. 9.  
p. 437.

p. 459.

vus